



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

VI. De Jure Episcopi circa ædificandas Ecclesias.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

qui petere jusserunt, potestatem consecrandi penitus abstulerunt. Si abstulerunt, præsupponi debet, presbyteros eam potestatem habuisse. Quandoquidem auferri nequit, quod non adest, quod quis non habet. Nec potest videri defuisse habere, qui nunquam habuit. l. 208. ff. de R. J. Sed & disertè ait, ex sanctorum patrum regulis & constitutionibus synodicis id jus ortum suum habuisse, ne quis putet, ex jure divino provenisse. Nec meruit proinde istud presbyteri facinus tam severam, & horridam reprehensionem.

XVI. Quantæ in Concilio Tridentino hæc de controversiâ obortæ fuerint contentiones disceptantibus hinc inde patribus, utrum presbyteris potestas christum a Pontifice Romano concedi possit, accuratè exponit Petrus Svaris in *hist. Concil. Trid. lib. 2.* Cum autem svaderent alii, damnandos solummodo eos, qui dicerent, Sacerdotem, non autem solum Episcopum esse ministrum ordinarium, quod iis verbis utraque opinio posset stabiliri, relicta hinc libertate inferendi: Ergo alius est minister extraordinarius; aut illinc colligendi: Ergo non potest esse alius minister, Sacramenta ministrum nullum admittunt, nisi ordinarium: videtur consilium hoc adprehendisse Patres Tridentini, cum anathematismum hunc in modum conceperunt: *Si quis dixerit, confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Quæ verba, cum ambiguum interpretationem eo, quo dixi, modo, patiantur, satis ostendunt infelicem hujus decisionis exitum, nec auctos fuisse Tridentinos ministerium presbyteri per anathematismum prorsus excludere, aut invalidum reddere.

CAP. VI.

De jure Episcopi circa edificandas Ecclesias.

I.

IN Concilio Chalcedonensi *can. 4.* constitutum legitur: *Quoniam nonnulli monachico pretextu utentes & Ecclesiastica & civilia perturbant negocia, temerè & citra ullam discriminis rationem in Urbibus circumcursantes, quin etiam monasteria sibi constituere studentes; visum est, nullum usquam edificare nec construere posse monasterium vel oratoriam domum, præter sententiam ipsius civitatis Episcopi.* De monachis quidem loquitur canon, qui per πολυπραγμοσύνην suam humana atque divina confundunt, deque constructis & edificatis per eos Oratoriis, οἰκοῖς ἐκκλησίαις, ut hæc ratione plebem à parochis suis abstraherent, & ad se allicerent; in genere tamen Aristenus antiquus

Xxx

Glossa

Glossator hanc inde colligit sententiam: *Domus Oratoria vel monasterium, citra Episcopi sententiam, non sunt extruenda.* Et mox: *Præter provincialis Episcopi sententiam monasterium aut Ecclesiam condere non oportet.* Et hanc generalem conclusionem ipsa suggerunt verba canonis, si absolute legantur, sine proœmio, quod causam impulsivam continet: Ἐδοξεν μηδένα μὲν μηδαμῆ οἰκοδομεῖν, μηδὲ στωιστῶν μοναστήριον, ἢ ἐκκλησίαν οἶκον ἢ ἄλλο γινώσκον ἢ τὴν πλείωσι ἁποκόπῃ. Placuit nullum usquam edificare aut constituere monasterium vel orationis domum, præter conscientiam civitatis Episcopi. Nec est ut sollicitè hic distinguamus oratoria à templis aut Ecclesiis, vel etiam inter ipsa oratoria aliquod adhuc discrimen faciamus, secundum *novellam* 8. *novell. 131. c. 8.* Nunquam enim inde quis conficit, oratoria quidem ædificare prohibitum, non autem id extendi debere ad Ecclesias, quandoquidem cui prohibitum est, quod minus est, multo magis prohibitum esse censebitur, quod majus est. Et rectè adeò Aristenus prohibitionem istam ad Ecclesiam produxit.

II. Et ne quis hâc de re dubitet, Justinianus specialius magis tùm de monasteriis, tùm de Ecclesiis, tùm etiam de Oratoriis lege publicâ sancivit, non licere cuiquam sine præscitu aut consensu Episcopi diœcesani tale aliquod ædificium extruere. Hæc enim ejus sunt verba ex *Novell. 67. c. 1.* Sancimus, præ omnibus quidem illud fieri, & nulli licentiam esse, μηδὲ μοναστήριον, μηδὲ ἐκκλησίαν, μηδὲ ἐκκλησίαν ἀρχιεπίσκοπος οἰκοδομεῖν, neque monasterium, neq. Ecclesiam, neque orationis domum incipere ædificare, antequam civitatis DEO amabilis Episcopus orationem in loco faciat & crucem figat, publicum processum ibi faciens, & causam manifestam omnibus statuens. In eandem sententiam concepta est *Novella 131. cap. 7.* Si quis autem voluerit fabricare venerabile oratorium aut monasterium (σεβάσμιον ἐκκλησίαν, ἢ μοναστήριον, per σεβάσμιον ἐκκλησίαν sine dubio Ecclesiam intelligens) præcipimus, non aliter inchoandam fabricam, nisi locorum sanctissimus Episcopus orationem ibi fecerit, & venerabilem fixerit crucem. Eodem tendit canon Concilii Aurelianensis, quem decreto suo inseruit Ivo *part. 3. c. 8.* & Gratianus *c. nemo de consecrat. dist. 1.* quanquam ille hodiè nullibi appareat inter canones Conciliorum Aurelianensium: *Nemo Ecclesiam ædificet, antequam Episcopus civitatis veniat, & ibidem crucem figat: publicè atrium designet, & ante præstiat, qui ædificare vult, quæ ad luminaria & ad custodiam, & ad stipendia custodum sufficiunt, & ostensâ donatione sic domum ædificet, & postquam consecrata fuerit, atrium ejusdem Ecclesiæ sanctâ aquâ conspergat.* Repetitus tamen hic canon & in legem conversus est in capitularibus Karoli M. & Ludovici *Imp. lib. 5. tit. 229.*

III. Consensus Episcopi non propter autoritatem tantum, & quia Ecclesiasticæ res omnes ejus regimini subjectæ sunt, sed etiam propter ipsius Ecclesiæ salutem requiritur. Prius enim inquirendum est, an fructus & redditus adsint sufficientes, ut & Ecclesia construatur, constructa conservari, & ministri, qui ad cultum divinum in eâ constituendi sunt, sustentari commodè queant, num ædificium loco fiat congruo, num ratio ædificandi institutis Ecclesiasticis conformis sit, num causa justa ædificandi adsit, num fiat ædificatio in præjudicium alterius, &c. Quæ omnia, ut & alia plura, ad Episcopi cognitionem & judicium spectant, & expediri debent, antequam initium ædificandi fiat. Sic enim aliquando usu venit, ut certatim homines, non ex pietate omnes, sed plurimi inanis gloriæ stimulo, Ecclesias ædificarent, quarum numerus cum excresceret quotidie, neque conservari omnes possent, quod ei rei nulla præsto essent subsidia, ipsæ mox ruinosa fiebant, & in seipsas concidebant, uti queritur Justinianus *novell. 67. præfat.*

IV. Ante omnia autem dispiciat Episcopus, ut area, quæ Ecclesiæ ædificandæ destinatur, commercio hominum eximatur, & ab omni proprietate liberetur, atque exauctoretur. Quia enim templum in eâ ædificandum sacrum fieri debet, & res sacræ omni prorsus commercio eximuntur, ipsam etiam aream sub tali qualitate dare oportet, ut à domino, qui fuit hætenus, omni proprietati renunciatur. Et hinc fit, ut æde sacrâ terræ motu dirutâ aut igne combustâ, locus ædificii non fiat profanus, nec venire possit, *l. 73. ff. de contr. empt.* sed sacer adhuc maneat. *§. 8. Inst. de R. D.* Et si igitur possit patronus cum consensu Episcopi legem dicere foundationi, sibi etiam reservare aliquam pensionem, vel aliud aliquod onus imponere *c. Eleutherius 18. q. 2.* non tamen potest sibi reservare proprietatem fundi, ne quidem si stipulari velit in eum casum, quando Ecclesia destructa est. Quæ enim naturâ sui dominio nostro exempta sunt, in obligationem deduci nullo modo possunt, *§. 2. Inst. de inut. stip.* quemadmodum nec pacisci licet, ut extructa aut extruenda Ecclesia non sit sub regimine Episcopi diocesani. *Theod. Balsamon ad Photii nomocan. tit. 2. cap. 1.*

V. Extat tamen Lotharii Imperatoris constitutio in Legibus Longobardorum *lib. 3. tit. 1. c. 47.* quam etiam refert Goldastus *tom. 3. constitut. Imp. pag. 303.* his verbis: *Statutum est, ut si quis liber homo per consensum Episcopi, Ecclesiam in suâ construxerit proprietate, fontesq; ab Episcopo in eâ fuerint consecrati, ideò non perdat suam proprietatem: sed si Episcopus voluerit, officium sacri baptismatis in suam Ecclesiam transferat, ipsa verò Ecclesia, à quâ transfertur, in constructoris maneat jure.* Ex quo factum porrò, ut inter heredes etiam dividerentur Ecclesiæ, & plurimæ inde contentiones nascerentur, de quibus promulgata est Lex Ludovici Pii in *addit. capitul. 3. n. 25.*

relata itidem à Goldasto d. tom. 3. p. 226. Perlatum ad nos est, quod inter heredes Ecclesie in rebus propriis constituta dividantur, & tanta per eandem divisionem simultas oriatur, ut unius altaris quatuor partes fiant, & singule partes singulos habeant presbyteros, quod sine discordiâ & simultate nullo modo geri potest. Unde nobis visum est, quod hujuscemodi Ecclesia inter heredes dividi non debeant, & si in contentionem venerint, & simultates inter eos surrexerint, per quas Sacerdos suo ibi officio canonicè fungi non possit, præcipiatur ab Episcopo civitatis, ut nullo modo ibi missarum solemnità celebrarentur, donec illi ad concordiam redeant, & pari voto atq; consilio Ecclesia illa sacerdotem canonicè habeat, qui liberè suum ministerium ibi peragere possit. Imò verò videtur aliquando in heredum arbitrio fuisse, utrum Ecclesiam ab antecessoribus acceptam sacris usibus relinquere, an verò eis subducere, & in alios usus vertere voluerint. Id enim, ni fallor, subinnuit Constitutio Lotharii Imp. in leg. Longobard. d. l. c. 44. De Ecclesiis, que inter coheredes divise sunt, considerandum est, quatenus si secundum nostram providentiam & admonitiones Episcopi ipsi coheredes eas tenere voluerint & honorare faciant. Si autem hoc contradixerint, ut in Episcopi potestate maneat, utrum eas ita consistere permittat, aut reliquias exinde auferat &c. Jure hoc, ut inter heredes dividi possent Ecclesiæ, recepto, invaluit mox aliud, ut etiam vendi possent & alienari. Idque perstringit Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis de dispensat. c. 15. Nunc non solum possessiones Ecclesiasticæ, sed ipsæ etiam Ecclesiæ cum possessionibus venduntur &c. Sed id factum vitio seculi, quo eodem etiam redemptiones Ecclesiarum & altarium invaluerunt; quod alibi commodius explicabitur.

VI. Etsi verò, uti supra dixi, omnem ejus loci, in quo ædificari debet Ecclesia, proprietatem abdicare oporteat donatores; non tamen propterea etiam Principis cessare debet imperium, quippe quod salvum & integrum manet, etiam, postquam Ecclesia consecrata est. Quod enim ex proprietate hominum abit, non propterea ab omni humanâ potestate exemptum est, cum utique etiam Princeps circa res sacras habeat, quod agat, quodque ex potestate sibi à DEO concessâ agere oportet. Agnovit imperium hoc in Ecclesias Athanasius, cum Ecclesiæ suæ restitutus Constantio Imperatori ex Arianorum suggestione templum pro Arianis postulanti stante pede respondit: *Tuæ potestatis est, Imperator, jubere & facere quodcumque volueris. Ego verò à te vicissim beneficium peto ac postulo, quod mihi concedas velim. Cumq; Imperator alacri animo daturum se promississet, continuo subjunxit Athanasius, petere se, ut idem sibi concederetur, quod Imperator ab ipso exegerat. Nam & ipse postulabat, ut per singulas civitates una Ecclesia tribueretur illis, qui Arianorum communionem refugiebant; uti refert Socrates lib. 2. hist. Eccles. s. 23.*

VII. Videntur autem aliquando, qui potentiores erant, vel dominium sibi reservare voluisse fundi illius, in quo ædificationem Ecclesiæ intendebant, vel saltem Ecclesiam fundatam Episcopo diocesano subicere noluisse. Cujus rei si qua suspicio subesset, solebat Episcopus in ipsâ fundatione, quid expectandum sibi esset, explorare, & in casum denegatæ subjectionis consecrationem prorsus recusare. Idque comprobatur relatio, quæ habetur in notitiâ donationum Ecclesiæ Salisburgensis cap. 9. apud Canisium tom. 6. antiq. Lect. de Comite Guntherio: Convocavit illuc sanctum Virgilium Episcopum eodem anno, quo ad Episcopum ordinabatur, dixitq. ei, se velle ibi monachos congregare, & Abbatem constituere, & tunc Virgilius Episcopus requisivit ab eo, in cuius dominio voluisset, ut Abbas ille esset & Monachi, quos illic congregasset, & ille ei primitus hoc dicere noluit, dixitq. ei Episcopus: Neq. ego tibi Ecclesiam consecro, nec monasterium, neq. abbatem, nisi secundum canones sciam, ad quem locorum illorum relictio & donatio constare debeat, & voluit inde abire. Deniq. idem Comes Guntherius divino compunctus amore cognovit, quod Episcopus secundum canonum statuta incedere vellet, & promisit, se hoc ipsum, quod ibi constructum habuit, ad monasterium perficere velle, & cum omni proprietate suâ eandem Ecclesiam, si consecrasset, ad Salzburgensem Sedem Episcopatus & ad illam dominationem pleniter per omnia, secundum canones tradere velle, & per omnia inde ita facere, sicut Virgilius Episcopus illum doceret, & tunc demum consensit Virgilius Episcopus & consecravit ipsam Basilicam, in honore S. Stephani, & omnem locum hunc &c. Et statuerunt proinde Episcopi in Concilio Valentino III. congregati c. 9. Seculares & fideles Laici, si condere voluerint basilicas in prædiis suis, unam colonicam vestitam cum tribus mancipiis donationis gratiâ eis conferant, moxq. Episcoporum juri, & sanctæ matri Ecclesiæ eandem basilicam submittant. Aliter verò nos earum consecrationem sciant non impleturos.

VIII. Secundum, quod attendere & exigere debuit Episcopus, antequam consensum suum ædificandæ novæ Ecclesiæ impertiret, hoc fuit, ut dispiceret, num justa constitueretur dos, quæ ministris illius Ecclesiæ alendis sufficeret. Eò enim tendit canon, quem supra ex Gratiani compilatione adduxi, Concilii Aurelianensis. Nemo Ecclesiam ædificet, antequam -- præfinit, qui ædificare vult, quæ ad luminaria & ad custodiam, & ad stipendia custodum sufficiunt: & ostensâ donatione sic domum ædificet. Et hunc in modum etiam constituit Justinianus Imp. Novel. 67. c. 2. non aliter quempiam Ecclesiam ex novo ædificare debere, priusquam loquatur ad DEO amabilem Episcopum & definat mensuram, quam deputat, & ad luminaria, & ad sacrum ministerium, & ad incorrumpendâ domus custodiam, & observantium alimenta: & si sufficienter habere videtur, faciat prius donationem eorum quæ futura sunt deputari, & ita domus ædificetur. Quod si omnino ædificata jam fuerit ecclesia,

clesia, nec tamen congrua dos ei adhuc constituta, jubetur Episcopus consecrationem tantisper differre, donec conditio ista adimpleta fuerit. Decretum ita in Concilio Wormatiensi *can. 3.* & Bracarensi *II. can. 5.* Unusquisque Episcopus meminerit, ut non prius dedicit Ecclesiam, nisi antea dotem Basilica & obsequium ipsius per donationem chartulæ confirmatum accipiat: Nam non levis est ista meritas, si sine luminaribus vel sine substantiali sustentatione eorum, qui ibidem servituri sunt, tanquam domus privata, consecretur Ecclesia. Eoque pertinet, quod rescribit Gelafius Papa, *c. piæ mentis 16. q. 7.* Quæ autem sit dos congrua, alibi commodius & prolixè explicavi. Cavendum verò insuper etiam hoc, ut Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimæ nec aliâ ullâ possessione priventur, ita ut novis tribuatur Ecclesiis, uti statutum in Concilio Arelatensi *VI. can. 20.* Moguntin. *can. 41.* & in capitul. Caroli Magni *c. 19. tom. 2. Concil. Gallic. pag. 325.*

IX. Sequamur Justinianum Imperatorem in *d. novell. 67.* ubi jubet porro, ut postquam expedita ea fuerint, quæ dixi, Episcopus orationem in loco faciat, & crucem figat, publicum processum ibi faciens, & causam manifestam omnibus statuens. Et hæc scilicet sunt solennia illa atque ceremoniæ, quibus ædificandi potestas conceditur. Publicus actus eam in rem institui debet, & ut majore cum auctoritate locus ille ab omni hominum commercio eximatur, atque ab reliquis fundis separetur, & ut innotescat magis, quid agatur, ne cuiquam damnum inferatur, quod fieri facile posset, si in loco alieno Ecclesia fundetur. Utque ea res in oculos magis incurrat, publica processio institui debet, *ἀγνοσία ἀεθόδοσ*, ita ut Episcopum habitu sacro indutum comitentur tum Clerici tum Laici ejus civitatis, Hymnos & Psalmodias cantantes, DEUMq; pro felici successu precantes. Tales enim processiones Justiniani ætate in usu fuisse, ex variis ejus constitutionibus plusquam manifestum est. Quæ quidem rejici nullo modo possent, nisi in superstitionem degenerassent, & gentilium institutis propiores nos redderent, quam Christi monitis, uti conqueritur Polydorus Virgilius *lib. 6. de inventor. rer. c. 11.*

X. Denique jubetur Episcopus manus extendere ad cælum & per orationem locum consecrare DEO, ibique crucem figere, uti habetur *d. novell. 67.* itemque *novell. 5. c. 1.* & *novell. 131. c. 7.* Preces in ejusmodi actibus solennibus necessariæ erant, & per eas segregabatur locus à cæteris, quæ in dominio & commercio, hominum manebant, DEUSq; invocabatur ut benedicere velit novo operi, & precantibus in eo, auxilio suo adesse. Figenda deinde est crux lignea & quidem in loco illo, ubi poni debet altare, ubi volunt, qui Pontificale Romanum composuerunt. Collocatione autem crucis profana loca expiabantur, DEOq; consecrabantur, atque idcirco prohibitum fuit, venerabilem crucem in ædes publicas & ad populi oblectamen.

ætamenta destinatas deferre, l. 26. C. de Epif. ne illæ populi ufibus eriperentur. Eumq; in modum sana, templa, atq; delubra gentilium in Ecclesias Christianorum converti voluit Theodosius Imp. in l. 25. C. Theodos. de pagan. ut per collocationem venerandæ Christianæ religionis signi expientur.

XI. In Oriente sunt quædam Ecclesiæ, in quibus post Episcopalem illam crucis fixationem, ubi ædificatæ jam fuerint, alia crux patriarchæ mandato figitur, quæ propterea *σταυροπηγία* dicuntur. Totus ille ritus recensetur in Euchologio Græcorum c. 30. Stauropegium sic fit: *Refertur ad patriarcham de ædificatione templi, & conscribuntur literæ commonitorie ad exarchum ipsius vel aliquem ex Archipresulibus, ut templum fundetur, consecretur & perficiatur sub nomine Stauropegii Patriarchici. Jubet autem fieri crucem ligneam, in quâ notarii Patriarchici scribunt ex unâ parte hæc verba: Stauropegium patriarchicum consecratum in nomine sancti N. in hac à DEO servatâ Urbe, in tali provinciâ, proprio nutu & voluntate talis sanctissimi Patriarchæ: ex alterâ verò parte scribitur: regnantibus piissimis Regibus tali mense, tali anno &c.* Indicium verò hoc esse, Ecclesiam istam jurisdictione Diocesani exemptam Patriarchæ immediatè subjectam esse, tradit Jacobus Goarus in Eucholog. pag. 612.

XII. De his Stauropegiis inveniuntur in Jure Græco-Romano lib. 3. decreta synodalia Germani Patriarchæ Constantinopolitani. Inter alia hæc eorum refertur descriptio: *Patriarchalis nominis relatio in illis solis obtineat, & clarius exprimat, in quibus extructio per patriarchalia crucifixæ facta fuerat, sive monasteria sint, sive Ecclesiæ catholice, sive oratoria. Et in hujusmodi nihil sit commune regionis antistiti, sive ad sacrorum consecutionem, sive ad abbatibus designationem, sive ad delictorum inquisitionem, neq; aliud quidquam, usque ad canonicorum illationum exactiorem. Etenim qui in his Sacerdotes sunt patriarchales erunt & nominabuntur, & patriarchalium jurium ex archiepo subiciantur, eiq; solita canonica persolvent. -- Ubi autem patriarchale Stauropegium præstructum non fuerit, regionis antistes illius potestatem habebit: sive monasterii suburbanum sit, sive paralarium, sive domus Oratoria, & illius erit relatio, confirmatio, inquisitio &c.* Talium autem crucifixionum, uti in antecedentibus dicitur, soli patriarchali amplitudini relictum est privilegium, metropolitanorum autem nemini. Atque idcirco cum Artæ Episcopus Johannes in istâ synodo egisset adversus Naupaeti metropolitanum, quod cruces apud S. Demetrii monasterium in diocesi Artæ fixisset, judicavit Synodus, ut cruces Episcopales, quas metropolitanus dejecerat, restituerentur, quæ verò ab illo erectæ fuerant, dejicerentur, & aliæ earum in locum ab Episcopo erigerentur.

XIII. Illud insuper observo, etiam jejunia quandoque ab Episcopis tum temporis, quando ædificarentur Ecclesiæ, observata fuisse. Testem habeo

habeo Bedam, qui *libr. 3. hist. cap. 23.* de Cedd, Episcopo Orientalium Saxonum ita loquitur: *Studens autem Vir Domini acceptum monasterii locum primo precibus ac jejuniis à pristina flagitiorum sorde purgare, & sic in eo monasterii fundamenta jacere, postulavit à Rege, ut sibi per totum quadragesima tempus quod instabat, facultatem ac licentiam ibidem orationis causâ demorandi concederet. Quibus diebus cunctis, excepta dominica jejunium ad vesperam juxta morem protulans, nec tunc nisi panis permodicum & unum ovum gallinaceum cum parvo laete aquâ mixto percipiebat. Dicebat enim hanc esse consuetudinem eorum, à quibus normam disciplinae regularis didicerat, ut accepta nuper loca ad faciendum monasterium vel Ecclesiam prius orationibus ac jejniis Domino consenserent &c.*

CAP. VII.

De Jure consecrandi Ecclesias.

I.

DE Ecclesiis ipsis & splendidioribus istis ædificiis, quando ædificari cœperint, & num veteres Christiani ejusmodi basilicas habuerint olim primis illis seculis, quoque tempore consecrationis ritus introducti fuerint, ad nostrum institutum non pertinet, ut speciatim discutiamus. Egit eâ dere quasi ex professo Johannes Seldenus *de synedr. lib. 3. cap. 15. seq.* Sufficit nobis ad Constantini Magni tempora respicere, quippe quibus non tuta tantum, sed & honorata facta fuit Religio Christiana. Eo autem regnante consecrationes Ecclesiarum multâ cum solennitate peractas fuisse testis est Eusebius *lib. 10. hist. c. 3.* Posthæc votivum nobis ac desideratum spectaculum præbatur, dedicationum scil. festivas per singulas Urbes & Oratoriorum recens structorum consecrationes; ad hæc Episcoporum conventus, peregrinorum ab externis & procul disitis regionibus concursus: populorum mutua inter se charitas ac benevolentia &c. Ceremonias autem tum temporis adhibitas mox addit, & his verbis explicat: *Jam verò antistitum absolutissime ceremonie & accurata sacrificia Sacerdotum & divini quidam augustiq; Ecclesie ritus; hinc psalmos canentium & reliquas nobis divinitus traditas voces auscultantium; illinc divina & arcana obeuntium ministeria. Mystica quoq; salutaris passionis symbola tradebantur. Deniq; omnis etas & promiscua utriusq; sexus multitudo, toto pectore precationibus & gratiarum actionibus incumbens, cum summâ animorum letitia DEUM honorum auctorem venerabatur. Sed & Ecclesiarum antistites, quotquot aderant, panegyricas habebant orationes, & quantum quisq; ingenio poterat, conventum laudibus extollere studebant.*

II. Idem